



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAEDOMINUS NOSTERVENERABILIS SERVIS DEI
VILLELMO REPIN ET SOCIIS EIUS,**

BEATORUM HONORES DECERNUNTUR Ad perpetuam rei memoriam. – Dominus noster Iesus Christus a se delectos Apostolos primum quidem ad vicinas regiones Ierusalem atque Galilaeae misit. Quandoquidemque sciebat quid lateret in homine, idcirco discipulos commonebat mitti eos sicut oves inter lupos. Quocum scilicet hoc Magister portendebat, fore ut post exitum suum iis ad gentes eundem esset, ut Evangelium salutis omni creaturae praedicarent. Ceterum id etiam aperte palamque dixit, cum ait: Tradent enim vos in consiliis; et persequentur vos; et morte efficient propter nomen meum; sed confidite: ego vici mundum (cf. *Evang.* passim). Quasi diceret: sed et vos vincetis per sacrificium vestri; qua re et coronam merebitis, iis promissam qui perseveraverint usque in finem. Haec sane verba, pressa atque praeclara quibus tanta praenuntiantur simul toleranda, simul fruenda iis qui mortem, Christi amore, obierint, causam exhibent cur martyres omnium aetatum sanguinem suum fuderint: ne videlicet a Christo, divina hostia, separarentur, sed cum illo tandem aeternam gloriam communicarent. His autem ii constantissimi et interrati viri mulieresque accensendi sunt, qui saeculo XVIII, in horrenda rerum mutatione quae in Gallia facta est, complures martyrium fecerunt; quorum profecto intemeratam fidem puramque religionem hodie et honorandam et imitandam proponimus ad mortem usque, si Deus poposcerit. Agitur autem de nonaginta novem illis fidelibus christianis, qui, quasi praetoria militum cohors, ab hostibus religionis, per vim nova poscentibus, oppressi sunt a tertio Cal. Novembres, anno MDCCXCIII, ad pridie Idus Octobres, anno MDCCXCIV. Quo labente anno, omnium profecto cruentissimo in illa aetate renovationis – terroris dicunt –, iam omnes illi comprehendi, et caeco detrudi carcere, et interrogari sine lege, et praecipiti iudicio damnari nulla appellatione, aut securi percussi, aut igneis globulis interfecti. Antequam autem de singulis pauca dicimus, id summatim certum testatumque volumus: hos fidei heroes fuisse quidem inter se diversos origine, censu, poenis ac suppliciis, sed ad unum omnes fortitudine summa ac robore iniquis respondisse iudicibus, studia sua et amorem erga Christi Ecclesiam testantes, a qua neque illegitima iura iuranda abduxerunt ab iis negata, neque oboedientia indignas pastoribus, qui talia iura iuranda dedissent, quorum auctoritatem detrectaverunt sive in Sacramentorum celebratione, maxime Eucharistiae, sive in excipiendo matrimoniali consensu, quo Dei benedictionem consequerentur. Sola autem certa testimoniorum de heroica illorum fide consideratio effecit, ut nonaginta novam hi Viri vere Martyres haberentur, in odium fidei scilicet ab hominibus temptati et uccisi, quos princeps tenebrarum exagitabat. Non ergo sine causa, continuo post eorum necem, locus ubi octoginta quattuor illorum necati sunt «ager Martyrum» est appellatus; cetera vero quindecim, qui in Andegavensi foro securi percussi fuerant, sunt eodem nomine honorati. Princeps autem ac quasi dux nobilissimi et animosissimi huius agminis Villelmus Repin fuit, Vir sane octoginta quinque annorum ac natu maximus; qui una cum reliquis undecim sacerdotibus, securi simul necatis, forma et exemplar evasis eius cleri, qui, maximam partem, iudicium sollicitationibus non cesserunt, neque novas rebus faverunt, specie quidem utilibus, re vero fallacibus ac dolosis. Cum his etiam tres Religiosae mulieres martyrium subierunt; quorum duae e

Societate a S. Vincentio de Paulo, deditae aegrotis et ab ipsis persecutoribus insontes iudicatae; tertia vero, quae de Sororibus Benedictinis a Calvaria erat, vitamque debebat contemplativam, dum familiam viseret capta est. Ceteri omnes Martyres e laicorum ordine erant; ex iisque quattuor quidem viri fuerunt, octoginta mulieres. Neminem autem iudices aut seditionis, aut armatae rebellionis insimulare potuerunt; sed omnes aut e familiae sinu, aut e cotidiano opere rapti sunt tranquilla ac serena conscientia operantes, id unum omnes dolentes, quod in tanta temporum iniquitate, tam atrox bellum in christianam religionem commoveretur inque consecraria officia inde profluentia; quae heroi illi cives nonnisi cum vitae discrimine clandestino more tueri curabant. Cum autem post illorum mortem hi Christi athletae una voce «Martyres» dicerentur, atque late eorum fama vagaretur signis divinis confirmata, de illorum Causa beatificationis agi coeptum est. Ac primum quidem in dioecesi Andegavensi, in qua omnes nati erant; postes vero apud Sacram Congregationem Rituum, ut tum vocabatur. Ac res quidem sua natura difficilis est Historicae eiusdem Sacrae Congregationis Sectioni mandata. Nata inde ampla Positio super Introductione Causae et Martyrio Servorum Dei Vilelmi Repin et nonaginta octo Sociorum eius. Post haec, Causa est formaliter apud Sacram Congregationem pro Causis Sanctorum introducta, die tertio decimo novembris, anno MDCCCCLXXVI, Paulo VI, Decessore Nostro, probante. Tum etiam acta quaestio de illorum Martyrio deque causa Martyrii. Quae Nos, die nono mensis Iunii, anno MDCCCCLXXXIII, constare declaravimus, simul Causae actores liberantes a signis probandis ad beatificationem necessariis. Post vero cetera rite acta, hunc diem, seu undevicesimum mensis Februarii, anno MDCCCCLXXXIV, statuimus ad sollemnem ritum beatificationis ipsius Vilelmi Repin eiusque Sociorum, quacum illam coniungi etiam decrevimus Venerabilis Famuli Dei Ioannis Mazzucconi; quare hodie in Basilica S. Petri, Romae, per sacrum haec pronuntiavimus verba: Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Orchamp, Episcopi Andegavensis, Caroli Martini, Archiepiscopi Mediolanensis, nec non plurium aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque Christifidelium expletes, de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Vilelmus Repin et Socii, et Ioannes Mazzucconi, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali: Beatorum Vilelmi Repin et Sociorum, die prima Februarii, Ioannis Mazzucconi die vicesima quinta septembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis Februarii, anno MDCCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri sexto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1984 - Libreria Editrice Vaticana